



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Disputatio Proëmialis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

omnino superfedebam agere, nè nobis Medici negotium facebant; præmittere tamen disputationem proœmialem abs re esse non potest, prout plures faciunt, in quâ ipsius Physicæ, seu scientiæ naturalis naturam examinabo, & discutiam, sit itaq;

DISPUTATIO PROœMIALIS.

Hic revocanda sunt omnia in memoriam, quæ dixi in Logica, tum de habitibus, tum de divisione objecti, multipliciq; scientiæ conditione, item quid sit praxis, quidq; speculatio, & cetera huiusmodi, nam omnia hic locum quoq; habent; unde omnes questionibus de utilitate, & dignitate scientiæ naturalis, & similibus levioribus quæstionibus, ea tantum discutiam, quæ vel difficultatem habere videntur, quæq; Physicæ tantummodò sunt propria, sit igitur

QUÆSTIO I.

An Physica sit scientia proprie dicta & qualis?

Novæ Academiae Professores, unâ cum suo Authore Arcefila, res Physicas opinionibus tantummodò subsistere afferebant; Plato quoq; Preceptorem suum Socratem secutus, præter Ideas suas à materia societate, & nascentium atque intereuntium rerum multitudine se junctas, duos mundos, intelligibilem videlicet & sensibilem statuit; dicebat de primo tantum haberi scientiam, utpote in quo ipsa habitaret veritas, non verò de secundo, de quo agit Physica, & quem nos visu percipimus, verum tamen resolutivè.

Dico I. Physica est verè & proprie dicta scientia. Hæc est communis Peripateticorum, &

Probatur primo autoritate S. Augustini, qui eam vocat: *Rerum humanarum divinarumq; cognitionem*, id est, scientiam de rebus tam materiâ constantibus, quàm immaterialibus, tractantem, & alibi supra, ubi post Antiquos Philosophos, Philosophiam tripartitam dicit, ut etiam expressè habet epist. 56. ubi sic loquitur: *Nôssi, quòd quidquid propter adipsèndam sapientiam queritur, aut de moribus, aut de natura (id est per Physicam) aut de ratione (id est per Logicam) quæstionem habere.*

Probatur secundo ex autoritate Aristotelis lib. 3. hujus operis cap. 4. & t. 24. & 2. Met. cap. 3. ubi Physicam naturalem scientiam appellat; ergò

Probatur tertio Ratione: Illa est verè & proprie dicta scientia, in quâ per causam propriam & necessariam, demonstrantur propriæ passionès & proprietates de subjectis; sed in Physica hoc fit, ergò ma. est Arist. 1. Post. 2. probatur mi quia de corpore naturali in Physica demonstratur, quòd sit corruptibile, mobile, divisibile &c. quæ sunt propriæ passionès corporis, ergò. probatur aut quia, quòd sit corruptibile, sic benè deducitur: omne quòd constat materia & formâ est corruptibile: corpus naturale sic constat; ergò est corruptibile: secundum vero sic: Omne quidquid habet

principium motus & quietis, est mobile, corpus naturale hoc habet, quia habet naturam, quæ est tale principium; ergò est mobile: Tertium porrò hoc modo: Omne continuum est divisibile: omne corpus naturale est continuum; ergò est divisibile. Sed in contra

Arguitur. Scientia est tantum de necessariis, secundum Philosophum, sed entia naturalia, de quibus agit Physica, sunt contingencia & corruptibilia; ergò non potest haberi scientia: patet ma. probatur mi. quia omne compositum ex materia & forma, est corruptibile: entia naturalia sunt sic composita; ergò corruptibilia, & consequenter contingencia, & dicit. mi. sunt corruptibilia, secundum esse essentia, & connexionem cum sua passione, quæ de ipsis demonstratur; nego mi. secundum esse existentia, seu esse, quòd habent in individuo, extra causam, concedo mi. & nego consequentiam. Connexio itaque illa est necessaria necessitate eâ, quæ ad scientiam requiritur; unde non nisi per accidens & ratione singularium sunt corruptibilia, in quibus tantummodò corrumpuntur.

Instatur. Omne compositum materiale est corruptibile, secundum se, & essentialitèr hoc cuilibet competit; ergò nulla solutio; probatur aut. quia corpus naturale, secundum se consideratur à Physica, sed Physica demonstrat corruptibilitatem de ipso; ergò secundum se competit ipsi corruptibilitas. & Omne compositum materiale esse quidem ex se corruptibile, quia habet in se principium corruptionis, sed nunquam corrumpitur actu, nisi in individuo, unde individuum ad corruptionem est conditio sine qua non, nec dicere valet, quòd propterea non sit necessaria secundum se, quia currit prior distinctio, nempe secundum esse existentia, non esse necessarium, benè tamen secundum esse essentia.

Urgetur. Physica non considerat res naturales secundum esse objectivum, sed secundum esse existentia actualis, quia agere de ipsis primo modo potius est Metaphysici quàm Physici; ergò si secundum esse existentia sunt corruptibiles, non poterit adhuc haberi de ipsis scientia, quia revera res naturales consideran-

III. Argumentum in contrarium.

tur, in quantum sunt mobiles & corruptibiles. *R.* 1. Negando ant. quia licet dicatur Physica agere de rebus, prout materiâ constant, nihilominus non est necesse, quod eas consideret sub actuali existentia; differet tamen adhuc sufficienter à Metaphysica, quia illa res considerat independentèr à materia, in præcisa ratione entis. *R.* 2. negando consequentiam: quia quantumcunq; res Physicæ sint instabiles & mutabiles, adhuc tamen de ipsis potest haberi scientia, quia potest vel hoc solum demonstrari de ipsis, quod in sua mutabilitate & instabilitate continuam solvent constantiam. Quod si tibi præsentès solutiones videntur difficiles, posses ad principale argumentum respondere aliter, videlicet, quod licet res naturales sint corruptibiles absolute loquendo, supposito tamen, quod existant, habent passionès à se necessario in tali statu pullulantes, & quibus cum necessario conjunguntur, posito, quod existant, quare etiam dici posset, quod Physica non sit tam rigorosè scientia, quàm sit scientia, quæ definitur à Philosopho 1. Post ut dixi in Logica, cujus objectum ita debet esse necessarium, ut se aliter habere non possit.

IV.
Argumentum secundum.

Arguitur. 2. Omnis scientia debet penetrare naturam sui objecti; sed Physica non penetrat naturam corporis naturalis; ergo non est scientia; probatur mi. quia nequit discurre, de natura corporis, substantiæ, vel entis, quia hoc est solius Metaphysicæ: ergo. *R.* distinguo mi. non penetrat naturam sui objecti, secundum prædicata Physica, nego mi. secundum prædicata Metaphysica, concedo mi. similiter dist. probat. consequens. Itaq; quod Physica non penetret naturam corporis, secundum esse substantiæ, entis, &c. non est ipsi præjudicium, quidquàm plus quàm alicui alteri scientiæ, quæ à prima Philosophia mutare debent principia Metaphysica sui objecti.

Instatur. Prædicata Physica non sunt intelligibilia; ergo nec quoad prædicata Physica penetrat suum objectum; probatur ant. quia prædicata Physica sunt sensibilia; sed sensibilia non sunt intelligibilia: ergo. Probatur mi. quia visibile non est audibile, nec audibile est visibile; ergo à pari; sensibile non est intelligibile. *R.* negando ant. cum mi. probationis & consequentia prob. Disparitas est, quia objectum cujuslibet sensus continetur sub objecto adæquato intellectus propter subordinationem; aliud autem est de sensibus, qui sunt limitata virtutis, & habent limitata objecta ita; quod nullus possit tendere, extra latitudinem sui objecti.

Urgetur. Res sensibilis est affecta accidentibus, sed omne tale est ens per accidens, de quo scientia haberi nequit; ergo nequit adhuc haberi scientia, de rebus sensibilibus. *R.* Physicum non considerare rem sensibilem, in quantum est affecta accidentibus, sed considerare eas in quantum constant materiâ, quæ est compositi substantialis pars materialis, ultimum constituens subjectum accidentium; in quantum autem eas sic considerat, non est ali-quod unum per accidens, sed unum per se.

DICO 2. Physica est scientia purè speculativa. Et communis omnium Antiquorum & Recentiorum cum Aristotele, qui sexto Met. c. 1. Philosophiam dividit, in Physicam & Metaphysicam ac Mathematicam.

Probatur etiam Autoritate D. Augustini lib. 8. Civit. cap. 10. & expressè cap. 4. ait: Naturalem scientiam contemplationi deputatam esse. Item: Eam Philosophiæ partem esse contemplativam, quæ conspicit rerum causas. Ita citat Sanctum Doctorem Nebridius, sed Physica conspicit & inquirat rerum causas; ergo Physica scientia est speculativa.

Probatur secundò Ratione: Illa est scientia purè speculativa, quæ in sola objecti sui consideratione persistit, nec illas tradit regulas in ordine, ad aliquod opus per se externum, sed Physica est talis; ergo Physica est scientia speculativa; major est certa, patet etiam minor, quia licet quandoq; videatur etiam docere, quomodo opus fieri debeat, ut dum tradit modum, quo attracto aère, è tubo sequatur aqua sursum, ad evitandum vacuum; attamen tales & similes actus, si proprie considerentur, non sunt rigorosè practici, & deinde etsi essent, per hoc tamen non haberetur, quod non sit absolute speculativa, quia à principalioribus, & pluribus actibus desumit suam denominationem, qui sunt omnes speculativi, maxime qui versantur circa objectum ejus principale. Sed Incontra

Arguitur. Medicina est pars Physicæ, sed hæc est practica; ergo & Physica; probatur ma. quia Medicina considerat corpus naturale humanum, quod est species corporis naturalis. *R.* negando ma. ad probationem dico, quod corpus humanum quidem consideretur à Medicina, sed sub alia ratione, & alio modo; nam Physicus illud sub ratione naturalitatis, inquirendo ejus essentiam, Medicus verò sub ratione sanabilitatis eandem, aut conservando, aut restituendo agit.

Instatur. Etiam Physica versatur circa nutritionem, & augmentationem, quæ Medicina etiam examinat, in quantum est practica, ergo. Sed *R.* dist. ant. Physica versatur circa nutritionem &c. eodem modo, quo de iis agit Medicus, nego ant. alio modo concedo. Itaq; Physicus ea considerat, modo speculativo, in quantum naturaliter fiunt; medicina verò ea considerat, tradendo regulas in quantum juvari possunt, vel reparari, & continuari. Ex his collige non modò Medicinam, sed nec Alchimiam, aut Agriculturam esse partes Physicæ, sed facultates distinctas, eidem subordinatas & subalternatas, quod de Medicina clarè patet, nam hæc habet idem objectum particulari differentia contractum, & è Physica sua desumit principia, nam hoc est principium Medicum, calida frigidis, & frigida calidis curantur, quod sic demonstratur in Physica. Quæcunq; qualitates sese mutuo expellunt, ab eodem subjecto ibi vicissim petunt inesse; sed calida & frigida se invicem expellunt; ergo petunt vicissim in esse subjecto, ex quo sic argumentatur Medi-

cus; Quæcunq; se expellunt, ut vicissim in-
sint, sese curant, calida & frigida sese expel-
lant, ut alterum vicissim inicit; ergo calida fri-
gidis & frigida calidis curantur. Et licet, de
hoc non sit particularis difficultas, contra
tamen.

Dico 3. *Physica non est scientia subalterna-
ta respectu Metaphysicæ, Mathematicæ, vel ullius al-
terius scientiæ.* Hæc est etiam communis: &

Probatur Conclusio primò:
Supponendo quòd requiratur ad scientiam
subalternatam, ut idem objectum contrahatur
per differentiam accidentalem, si esset alicui
subalternata maximè Metaphysicæ, sed huic
non est: ergo nulli; probatur mi. Objectum
Physicæ non contrahitur per differentiam ac-
cidentalem, sed essentialem; ergo non est
scientia subalternata Metaphysicæ, nec ulli
scientiæ; probatur ant. quia ratio corporis,
substantiæ, & naturalitatis, quæ sunt differen-
tiæ, non sunt accidentales, sed essentielles, ergo.

Probatur secundò: ex principali
motivo subalternationis. Principia Physicæ
non sunt conclusiones demonstratæ in Meta-
physicæ, vel ulla alia scientia; ergo non subal-
ternatur illis; patet consequentia, probatur
ant. Quia nec Metaphysicæ, nec ulla alia scien-
tiæ probat, corpus naturale constare materiâ &
formâ, aut esse corruptibile vel mobile, imò ali-
qua principia Physicæ sunt nota ex terminis,
quod repugnat scientiæ subalternatæ, quâ tali:
ergo.

Dices: Scotus quæst. primâ Phys. docet:
Physicum præsupponere Metaphysicum, quia
non potest scire corpus esse corruptibile, nisi
sciat esse ens, ergo subalternatur Metaphysicæ.
R. negando consequentiam, quia hoc non suffi-
cit ad scientiam subalternatam, ut patet ex mo-
do, & supra dictis.

QUÆSTIO II.

Quodnam sit objectum Physicæ?

**Circa præsentem quæstionem plu-
rimæ omnino sunt sententiæ, ut in nulla scien-
tiæ, de objecto, plus altercationis sit, quamvis
determinato objecto, omnes easdem moveant
difficultates, & eandem prorsus rem pertra-
cent, Patres Connimbrienses hic q. 4. art. 1.
novem diversas recensent opiniones, tres ta-
men sunt principales; Prima est Avicennæ,
Algaçellus, de divis. scient. Alberti M. Egidii,
qui omnes, pro objecto Physicæ, statuunt cor-
pus mobile. Secunda est D. Thomæ hic in pro-
oëmio Cajet. Ferrari: Toleti &c. qui pro ob-
jecto ponunt ens mobile, aut substantiam mo-
bilem. Tertia sententia est Scoti 6. Metaph.
q. 1. Scotistarum & Recentiorum communior
& acceptior, qui dicunt: objectum Physicæ esse
corpus naturale, ut itaque certa ab incertis se-
cernantur, & revera de verbis evitetur con-
tentio.**

Notandum primò: Corpus tripli-
citer capi posse: Mathematicæ, Metaphysicæ, &
F. Amandi Hermann Physicæ.

Physicæ: primo modo sumendo, est substantia
quanta, seu potius ipsa quantitas divisibilis, se-
cundum triplicem dimensionem longitudinis
nempe, latitudinis, & profunditatis. *Metaphy-
sicum* verò est substantia, gradu corporeitatis,
cum quo constituit corpus, de prædicamento
substantiæ. Tertio modo si sumatur, tunc est
substantia, ex materia prima & forma substan-
tiali composita, ita ut non videatur propriè di-
stingui, à corpore Metaphysico, præterquam
quòd semel & primo modo simpliciter confi-
deretur, ut quid totum & completum, nihil
enim, quod in prædicamento directè ponitur,
incompletum & pars esse debet; in tertia ve-
ro acceptione potest accipi tum completè, tum
incompletè, in quantum est altera pars compo-
siti substantialis viventis, constans ex materia &
forma corporeitatis.

Notandum secundò: Cum Con-
nimbriensibus, Ens mobile, corpus mobile, &
corpus naturale, posse sumi pro synonymis, si
quis in rigore loqui vellet, in quantum esset,
nempe substantia talis completa, quæ haberet
naturam, ratione cuius competit ipsi moveri &
quiescere, quod etiam notavit Averroës, vulgò
Commentator dictus, qui objectum Physicæ
nunc vocat ens mobile, ut 1. Met. aliquando
corpus mobile, ut 1. 2. Met. & iterum corpus na-
turale ut 7. Metaph.

Notandum tertio: Physicam du-
pliciter congruè spectari posse: primò, in quan-
tum comprehendit libros Physicales, qui Au-
sultatorii dicuntur, & unam scientiam consti-
tuunt, quæ ordinariè dicitur Physica; secundò
modo, in quantum comprehendit omnia ea,
quæ in scientia naturalium rerum tractari so-
lent, prout complectitur tum præfatos, tum de
ortu & interitu, Cælo & Animaticos, ita, ut
quodammodo talem patiat Physica partiti-
onem, qualem habet Logica, de Logica in se, &
Logica Aristotelica, aliam esse Physicam in se,
prout communiter in Scholis circumfertur, &
aliam Physicam Aristotelicam, à principaliori
scriptore sic appellatam, & dictam, his notatis

Dico 1. *Si Physica consideretur, prout solos
complectitur libros Ausultatorios, & Ens mobile,
corpus mobile, & corpus naturale, sumatur pro com-
posito ex materia & forma substantiali, de quolibet
dici potest, quòd sit objectum Physicæ, seu librorum
Ausultatoriorum.* Probatur generalitèr, ex
Aristotele, primo de cælo cap. 1. & 6. Met.
cap. 1. dicente: *In huiusmodi essentia versatur
Physica, in qua motus & status principium est,* sed
in quolibet ex istis, si sumantur pro composito
ex materia & forma, est tale principium, seu na-
tura, scilicet materia & forma; ergo quodlibet
ex enumeratis dici potest, esse objectum Phy-
sicæ. Confirmatur: Quia si quis acciperet risi-
bile pro eodem, quod est rationale, in quantum
risibilitas rationalitatem denotat & signifi-
cat, benè statueret unum pro alio; ergo si per
ens, vel substantiam mobilem intelligitur to-
tum compositum, quod est radix & principium
motus & quietis, sicut rationale risibilitatis,
benè poterunt pro eodem accipi, & pro objecto
Physicæ statui. Sed

III.
Ens mobile,
corpus mobile
& naturale
possunt sumi
pro synony-
mis.

IV.
Physica da-
pliciter con-
sideratur.

V.
Omnia pos-
sunt dici ob-
jectum Phy-
sicæ.

VL

Dices: Ens mobile, Ens naturale, &c. non possunt pro eodem accipi, in sua tota latitudine, pro eo, quod constat materia & forma, quia magis latè patent, possunt enim prædicari, de accidente, Angelo, & anima rationali; ergò nequit dici, quòd possint statui pro objecto Physicæ. **R.** 1. permittendo transire ant. negando consequentiam, quia Conclusio tantum loquitur, ex suppositione, quòd pro eodem accipiantur, prout videntur accipi, quia omnes, quidquid pro objecto assignant, eandem materiam planè tractant, eademq; examinant difficultates. **R.** 2. negando ant. quia revera sic videntur accipi pro eodem, ut patet ex proximè data ratione, & etiam ita sumi testantur Complutenses & Connimb. Ad probationem ant. **R.** 1. Ens naturale non prædicari de illis, secundum illam rationem, secundum quam hic accipitur, cum Aristotele, quatenus est compositum ex materia & forma substantiali, sed prout naturale opponitur supernaturali. Ad eandem probationem **R.** 2. dist. eam, potest de illis prædicari mobilitas Physica, seu quæ provenit ex principiis intrinsicis Physicis, verbi gratià, materia & forma, videlicet aptitudo ad omnem speciem motûs nimirum alterationem, augmentationem, &c. nego ant. quæ provenit à principio intrinseco Metaphysico, ut motus ad intellectiorem & volitionem, loquendo de Angelo, concedo ant. & nego consequentiam, quia hæc est tantum incompleta acceptio motûs, & mobilitatis. De accidentibus similiter dicendum, quòd competat ipsis motus incompletus, sicut & materiæ & formæ.

Instabis: Quantitati Eucharisticæ competit motus completus, & proprius; ergò nulla solutio. **R.** dist. ant. competit ipsi motus, ratione naturæ, quæ ipsi inest, nego ant. ratione miraculi, quæ defectum principii talis motûs supplet, concedo ant. & nego consequentiam. Itaq; hic motus miraculosus est, adeoq; non est fori Physici; si autem quæras, ad quam ergò scientiam accidentia reduci possint tunc **R.**

VII.

Secus si formaliter sumantur.

Dico 2. Si Ens mobile, vel substantia mobilis, accipiat formaliter, pro ipsa aptitudine ad motum, tunc nec ens mobile, vel substantia mobilis, aut corpus mobile, sunt objectum Physicæ. Ita Doctor Met. q. 1. & ostendit, ac probat conclusionem hoc discursu, mobilitas est passio corporis naturalis, prius enim supponitur, quòd substantia sit quanta, quantitate determinatâ, quàm quòd sit mobilis, secundum quantitatem, quia quantitas in communi abstrahit à motu; prius etiam supponitur, quòd sit qualis, qualitate tertiæ speciei, quàm ostendatur mobilis, secundum qualitatem, quia in ista specie est motus alterationis 7. Phys. prius etiam, quàm ostendatur, corpus esse mobile localitè, ostenditur habere, ubi determinatum, quòd præsupponit quantitatem determinatam, & etiam qualitatem, si accipiat ubi determinatum, quantum ad differentiam certam positionis, quia talis determinatio sequitur qualitatem naturalem, & gravitatem deorsum, levitatem sursum; hæc Doctor, quibus vult demonstrare, quòd aptitudo ad motum sit tantum passio entis naturalis, sive

fit aptitudo ad motum, cuius terminus est quantitas, sive qualitas, vel ubi &c. Unde

Probatur Conclusio Ratione:

Quia quòd demonstratur à priori, de aliquo in scientia, non potest esse pars objecti adæquati incomplexi, sed est tantum passio, atqui 6. Phys. l. 32. mobilitas demonstratur, de corpore naturali; ergò mobilitas non potest esse objectum Physicæ. Confirmatur: De subiecto, & objecto alicujus scientiæ debet præsupponi, & præcognosci quid sit, de passione autem hoc non est necessarium; ergò si mobilitas demonstratur in Physica, objectum non erit, sed tantum passio.

Dices; Etiam Aristoteles 6. Phys. cap. 5. probat corpus naturale; ergò nec ipsum posset esse objectum Physicæ, vel dicendum, quòd probatio mobilitatis non impediat, quò minus possit esse objectum Physicæ, & consequenter ratio non convincit. **R.** negando consequentiam, vel si mavis dist. ant. probat corpus naturale à posteriori concedo, à priori nego ant. & consequentiam. Itaq; non impedit quò minus aliquid possit esse objectum alicujus scientiæ, si illud probatur à posteriori, bene tamen si probetur à priori, prout probatur mobilitas, seu aptitudo ad motum. Sed

Opponitur. Adhuc authoritas Aristotelis 6. Met. l. 1. ubi sic habet: *Naturalis (Scientia Philosophia) speculativa quædam perfectio est, sed speculativa versatur circa tale ens, quòd possibile est moveri; ergò Physicæ objectum est ens mobile, seu potens moveri. R.* Quòd licet Philosophus ibi ita locutus sit, nihilominus non vult, quòd ens mobile in sua latitudine sit objectum Physicæ, sed tale ens mobile, verbi gratià, corpus naturale, de quo erat ibi sermo.

Instatur. Ergò saltem sequitur, quòd mobile corpus sit objectum, consequenter nulla solutio. **R.** disting. illatum, quàm mobile nego, quòd est mobile transeat, vel dic: corpus mobile esse objectum complexum conclusionis scientiæ, & partialis Physicæ, in quâ mobilitas demonstratur de corpore naturali, non autem, quòd sit objectum incomplexum totius Physicæ.

Dico 3. Objectum formale Physicæ convenientius per naturale, quàm per mobile exprimitur: Et materiale magis per corpus, quàm per Ens. Prima pars est Philosophi, ubi dicit: Physicam versari circa illud, quòd est principium motûs & quietis, sed illud est subiectum naturale quàm tale, ut infra dicam.

Probatur etiam Ratione: Sub illa formali ratione convenientius consideratur objectum Physicæ, sub quâ distinctius, & magis propriè exprimit radicem omnium passionum, quæ de ipso demonstrantur, sed hoc fit distinctius per *id naturale*, quàm per *id mobile*; ma. patet, probatur mi. quia radix mobilitatis, divisibilitatis, &c. est consistere materiæ & formæ, hoc autem est esse naturale, ergò. Confirmatur: Quia *id naturale* non solum est principium motûs, sed etiam quietis, & consequenter quietis.

quiescibile, sed mobile, quâ tale, non est causa quietis, ergo.

Probatur etiam secunda pars:

Tùm ex eo, quòd non sufficientèr excludantur entia spiritualia, tùm quia clariùs explicatur naturalis substantia, per *hoc corpus*, quàm per *hoc ens*; tùm denique, quia in constitutione alicujus objecti, ejusq; definitione, semper debet sumi genus proximum, & magis immediatum, ut patet, diu definitur homo, quòd sit *animal rationale*, & non quòd sit *ens rationale*; ergò etiam meliùs explicatur objectum Physicæ, quòd sit *corpus naturale*, quàm quòd sit *ens naturale*.

Dices: Per illud meliùs explicatur objectum alicujus scientiæ, in quo est principalissima passio demonstrata, veluti in subiecto, sed motus demonstratus in Physica, veluti principalissima passio est in ente, & non in corpore; ergò meliùs explicatur objectum Physicæ, per *hoc ens*, quàm per *hoc corpus*: probatur mi. quia motus dicitur, quòd sit *actus entis in potentia*, prout in potentia est, ergò. **R.** negando mi. ad cujus probationem dico, quòd in definitione motus *hoc ens* non significet rationem illam Metaphysicam præcise à suis inferioribus, tùm quia illa ratio, seu ille gradus non est mobilis; tùm quia non est Physicus, tùm denique, quia vel est in actu, vel in pura potentia, motus autem est actus entis partim in actu, partim in potentia.

Dico 4. Si Physica sumatur pro tota scientia naturali, Ejus objectum, si quid unum & adequatum & attributionis specificum est Homo. Hanc conclusionem sic propositam non reperi, nihilominus eandem Probo ex conditionibus, ad objectum incomplexum adequatum requisitis.

Et in primis habet, quòd de ipso præsupponatur, quòd sit & quid sit, ita, ut hoc nullo modo in tota scientia naturali demonstretur, e contra verò demonstrantur de ipso proprietates, & passiones, scilicet naturalitas, mobilitas, generabilitas, corruptibilitas, &c. Deinde omnia, quæ in scientia naturali tractantur, ad ipsum reducuntur, vel tanquam partes constitutivæ, vel tanquam partes subiectivæ, vel tanquam causæ, proprietates, passiones, & conditiones; nam ut D. Gregorius ait hom. 29. in Evangelia: *Homo habet namq; commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus.* Quidquid ergò in communi, de rerum corporearum principiis, causis, & passionibus, dicitur, ad corpus humanum ordinatur plenius intelligendum, quia ut dicit D. August. lib. 6. contra Faustum cap. 5. *Omnis creatura usibus hominum quodammodo conditionaliter servit.* Tertiam deniq; etiam habet, quia per hoc sufficientèr distinguitur, ab omnibus aliis scientiis. Si autem quæras, sub quâ ratione? Respondeo: sub ratione hominis, in quantum videlicet est compositum quoddam completum, constans ex corpore & anima. Dixi notantèr si sit quid specificum; quia si genericum quid sit, aut esse debeat, tunc vix assignabitur aliquod unum per se, sed aggregatum ex pluribus partialibus, ut examinanti rem clarè patet, & si etiam sic ponatur objectum homo adhuc sit objectum magis principale, & primum primitate perfectionis, quoniam omnia reliqua, ad cognitionem ejus subordinantur, ita, ut reliquæ omnes partes sint partiales scientiæ de homine subordinatæ.

